



g. 6. 44

vok

Theologie  
P. VII 35t. 625.



Margarita Nuptialis,

V E N E R A B I L I IV.  
 VENI, PIETATE, DOCTRINA  
 ET PATRICIA DIGNITATE PRAESTANTI, D.  
 CONRADO ALEMANNO, AD DIVVM NICO-  
 laum apud Magdeburgenses Canonico, Orna-  
 tiss: & prudentiss: Viri D. Thomæ Ale-  
 manni, P. M. quondam Consulis  
 R eip. Magdeburgensis  
 meritiss: F.

*Et*

C A S T I S S: P V D I C I S S I M A E.  
 Q V E V I R G I N I M A R G A R I T A E,  
 Honestiss: & Integerrimi Viri  
 D. Casparis Steinbeccij,  
 P. M. F. Sponsis.  
 Donata.

*a*

G E O R G I O R I T T E R O  
*Hilperhusano.*



Mag deburgi excudebat Andreas Gehen,  
 M. D. LXXXIII.

**E**xpectata diu , felici sydere tandem  
Septima Septembris bis redit orta dies.  
Qua Sol extremos permensus Virginis ignes  
Efficit æquales noctibus esse dies.  
Feruida nudatis despumant musta racemis ,  
Et scisso mandat semina quisq; solo.  
Patricio gaudens sponsus CONRADVS honore  
Hac celebrat thalami festa parata die.  
Sit felix sponsis sociali fœdere iunctis  
Lux hodierna cruci Christe dicata tuæ.  
Autor coniugij Deus his precor annue votis  
Amborum , & sacris præses adesto tuis.  
Sis facilis casto sposo , castæq; puellæ,  
Pelle procul tædis quicquid obesse potest.  
Ipsa etiam thalamo felices exerat ignes  
Cum matutino fulgida sole Venus.  
Non Caurus pluuiio contristet frigore cælum ,  
Æolus & sistat flamina sœua Noti.  
Et iam plena viro potiundæ copia nuptæ  
Fiat , & ambobus tædifer adsit hymen.  
Quiq; ad connubij venerunt festa vocati ,  
Pro sponsis fundant vota precesq; nouis.  
Ipse ego dum sposo felices gratulor ignes,  
Legitimoq; precor prospera fata toro:  
Ecce nouenarum Phæbo præeunte sororum  
Constitit ante oculos dulcis imago meos.  
Sunt Musæ , nosco comites , Polyhymniae sacræ  
Prima mihi visa est , altera Calliope.  
Pande fores , te spōse volunt , tibi grata precantur,  
Nec dubitant sponsæ limen adire tuæ.  
Margaridenq; tibi insigni pro munere portant ,  
Excipias grata munera tanta manu.  
Munera longinquis quæ nata feruntur ab oris ,  
Gemmae quas nobis Indica mittit aqua.  
Calliope laudes gemmæ , Polyhymnia sponsæ  
Virtutes pandet carmine dulcisono.  
Calliope . Iussæ cum simus solennes risere tædas ,  
Quin age , nunc thalami concelebremus opus.  
Polyhymn.

- Telyhym. Quænam sacra tori modo nos ad festa vocemur,  
Cara soror verbis commemorare velis.
- C. CONRADI ad thalami sacrum, quod ritè secundis  
Omnibus sponsæ MARGARIDI instituit.
- P. Incipe Calliope preciosæ Encomia gemmæ  
Dicere, si quid habes, incipe Calliope.
- C. Præstantem iuuenem præstanti munere gemmæ  
Dono, dat illa meis verbaq; resq; modis.
- P. Et nostris, virgo dulci quæ nomine gaudet  
Margaridos, numeris verba modos q; dabit.
- C. Et, bene si memini, gemmas sacra pagina adumbrat  
Margaridas, dulces assimilatq; typos.
- P. Nunc ergo cum nos non cura remordeat illa,  
Nobis te paucis hæc aperire velim.
- C. Sic sponsam Salomon preciosas vincere gemmas  
Asseruit, quales india diues habet.
- P. Et mercatori Christus cælestia adæquat  
Regna, suo gemmas qui parat ære sibi.
- C. Rebus quas Genitor fabricauit, signa iugalis  
Insunt, crede mihi, ceu simulacra, tori.
- P. Scilicet: insignem vicino in littore quærens  
Margariden, diti est æquiparandus homo.
- C. Margaridenq; emit inuentam, ratione suarum  
Exacta rerum, posthabitaq; domo.
- P. Nec mora nec iuueni requies est addita, donec  
In thalamum scandit virgo pudica suum.
- C. Ergo Margaridos vis quanta sit insita gemmæ,  
Incipiam versu commemorare meo.
- P. Quantas possideat diuino munere dotes  
Sponsa, pedes pedibus continuando, canam.
- C. Principium precij cunctarum et culmina rerum  
Concha tenet, qua non res preciosa magis.
- P. Virginem nil casta toto preciosius orbe est,  
Hæc palmam cunctas obtinet inter opes.
- C. Margaridas nasci puras in littore gemmas  
Iunctis ex conchis, haud dubitata fides.
- P. Et casto in thalamo pulchras suavesq; puellas  
Casta sibi genitrix procreat atq; pater,

A ij

C. Sig-

- C. signa equidem conchis insunt non pauca marinis,  
Quæ bene cum casta virgine conueniunt.
- P. Signa equidem pulchris insunt non pauca puellis,  
Margaridi gemmæ quæ bene conueniunt.
- C. Vere nouo, varijs decorante coloribus agros,  
Æquoreas conchas torret anhela sitis.
- P. Etatis sic vere suæ sitit æger amicam,  
Et socio iuuenis gaudet amore frui.
- C. Mox pleno excipiunt cælestem gutture rorem,  
Nascitur hinc miris lucida gemma modis.
- P. Sic quoq; cum thalamus castos excepit amantes,  
Producit gemmæ nobilioris opus.
- C. Maior erit gemmæ species, si magna q; concha est,  
Paruula si concha est, paruula gemma manet.
- P. Maior erit virgo claro de sanguine creta,  
Fit minor, obscuro quando ea nata loco est.
- C. Gemma tamen rutilo est auro preciosior, albū  
Si ros in conchas fluxerit æquoreas.
- P. Sic thalamus concors quoq; preciosior auro est,  
Candida quem socio nutrit amore fides.
- C. Si concham nubes obscuro rore replerit,  
Sordescet grauidæ debile ventris onus.
- P. Turbida si nubes vitiorum obscurat amantūm  
Pectora, in obscuro sic quoq; fætus erit.
- C. Roreq; concepto, faueat nisi debita cæli  
Temperies, gemmæ pallor inesse solet.
- P. Mater si illicitos veneris settatur amores,  
Illiusr roseo gnata pudore vacat.
- C. Quales diffundit surgens aurora colores,  
Margaridos tales Indica gemma trahit.
- P. Qualia sunt studia et virtus, moresq; maritæ,  
Tales gnatarum sèpius esse solent.
- C. Margaris argenti niueo splendore refulget,  
Clarus ubi summo Phæbus ab axe nitet.
- P. Casta etiam, pietate à matre instructa fideq;  
Pectora virgo tenet candidiora niue.
- C. Cum multo nebulæ circum Eos fundit amictu  
Æthera, splendoris gemma nihil capiet.

P. Cum

- P. Cùm maculat castos polluto pectore mores  
     Ipsa parens, proles degenerare solet.  
 C. Quem semel arenti concepit gutture rorem  
     Concha maris sitiens, firmiter vsq; tenet.  
 P. Quos hausit, seruat mores virguncula, namq;  
     Naturæ sequitur semina quisq; suæ.  
 C. Cumq; sùm stillans sedauit lympha molestam,  
     Nascitur ex illo gemma liquore nitens.  
 P. Moribus expleuit sic quando pectus honestis  
     Sponsa, suo crescit gemma futura viro.  
 C. Ipsa licet sit multiplici cute consita gemma,  
     Túrior artificis fit tamen ipsa manu.  
 P. Si virgo inulta est, cura est adhibenda fidelis,  
     Natura vt mores induat apta bonos.  
 C. Pura solet longa flauescere gemma senecta,  
     Torpescit rugis & cutis ipsa suis.  
 P. Sic etiam amittit natuum sponsa ruborem,  
     Et faciem tandem ruga senilis arat.  
 C. Non tamen ipsa minor fit gemma, sed auctior omni  
     Ætate, et conchis hæret adusq; suis.  
 P. Coniugium concors multos augetur in annos,  
     Nec cum rugosa fronte senescit amor.  
 C. Et nequit auelli à conchis, (mirabile dictu )  
     Nec vis vlla valet, sit nisi lima tenax.  
 P. Non vñquam seris illam mors auferet annis,  
     Quæ coniuncta suo est corde animoq; viro.  
 C. Concha manet domiporta suæ sub tegmine testæ,  
     Cum rapidam furum cernit adesse manum.  
 P. Sic affixa suæ domui est, pudibunda latetq;  
     Ne vitam maculet turpiter ipsa suam.  
 C. Cumq; peti se propter opes sit gnara, sub vndis  
     Has operit, visti gurgitis ima tenens.  
 P. MARGARIS & casti semper decus illa pudoris  
     Seruat, et illicitos odit honesta toros.  
 C. Integra quæ numeris teres omnibus atq; rotunda est,  
     Gratior ante alias est ea gemma viris.  
 P. MARGARIS illa placet, roseis affusa labellis  
     Gratia quam decorat virginemq; pudor.

A iij

C. Multas

- C. *Multa etiam nitidis insunt discrimina gemmis,*  
    *Nec forma est eadem, nec color unus inest.*
- P. *Sic pulchris etiam varia est natura puellis,*  
    *Moribus hæc placida est, altera dura nimis.*
- C. *Vnio qui solidus, puro est preciosior auro,*  
    *Lapsu non ullo frangitur ille suo.*
- P. *Sic solidæ pietatis amans fert nescia frangi*  
    *Pectora virgo, aurum vincit & omne simul.*
- C. *In gemmis vitium est specie quandoq; probatis,*  
    *Atq; manu factis fucus inesse solet.*
- P. *Morbus inest cæcus lascivis saepe puellis*  
    *Pronis in quodvis ferre cubile pedes.*
- C. *Optima sic est, quæ nullum est violata per usum*  
    *Gemma suum seruat sed sine labe decus.*
- P. *Optima et est virgo quam forma pudorq; coronant,*  
    *Inq; vicem niueo præstata corde fides.*
- C. *Est, mihi crede, parum preciosæ gratia formæ,*  
    *Ni vires habeat conscientia gemma suas.*
- P. *Est, mihi crede, parum generosæ gratia formæ,*  
    *Ni laus accedat vera pudicitiae.*
- C. *Arte laborata et mendaci splendida fugo*  
    *Gemma oculos hominum fallere saepe solet.*
- P. *Sic quoq; fucatæ species externa puellæ*  
    *Enitet, et iuuenum pectora saepe capit.*
- C. *Nunc quanta utilitas sit gemmæ, quantus et usus*  
    *Sit conchæ, numeris enumerabo meis.*
- P. *Non minor utilitas thalami est, sed maximus usus,*  
    *Perge soror, versu subsequar ipsa meo.*
- C. *Nauta coloratis nobis quas portat ab Indis,*  
    *Ægris Margarides pharmaca certa ferunt.*
- P. *MARGARIDI medicina sua est, qua saepe mariti*  
    *Rebus in aduersis damna leuare potest.*
- C. *Sanguineus mordaxq; ruens per viscera fluxus*  
    *Margaridos siccæ sistitur auxilio.*
- P. *Sic sanat fidi bene fida marita mariti*  
    *Vulnera, quæ turpis cuspidi fixit Amor.*
- C. *Si cui defesso languent in corpore vires,*  
    *Gemma sua firmas nobilitate facit.*

P. Pro-

- P. Prouida nupta viro afflito medicamina prestat,  
*Vt redeat menti, qui fuit ante, vigor.*
- C. Cardiacis spes est in puris maxima gemmis,  
*Quæ sanant animos ægraq; corda leuant.*
- P. Sic quoties curæ depascunt corda mariti,  
*Spem locat in firma coniugis ille fide.*
- C. Quem vagus vrit amor, stimulatq; libidinis æstus,  
*Dextra ferat gemmam, turpis abibit amor.*
- P. Turpis vt ex animo flagrante libido recedat,  
*In casto viuant fæmina virq; toro.*
- C. Margarides morbos arcent, pro polline sumtæ,  
*Tristis & ex omni corpore pestis abit.*
- P. Sic omnes vxor pestes in amore iugali  
*Et fugat atq; omni sedulitate cauet.*
- C. Si quis voce caret, si linguae perdidit vsum,  
*Hauriat hic gemmas, ilicò sanus erit.*
- P. Siq; sedet tacitus curis vexatus inquis,  
*Exhilarat mæstum sponsa pudica virum.*
- C. Plura procul dubio gemmis sunt pharmaca, nobis  
*Quæ sunt hic nostris prætereunda modis.*
- P. MARGARIS hæc sanat, quod non sanasset Iaspis,  
*Quam bona res virgo, quam bona castus amor?*
- C. Mordaciq; tamen perfusa liquecit aceto  
*Et reddit in nihilum, quod fuit antenihil.*
- P. MARGARIS hæc etiam fati absumentur aceto,  
*Sed vitam acquiret, quæ sine fine manet.*
- C. Quam tibi sponsæ fero, conchis modò creuit in Indiæ  
*Gemma, & quid doceat ritè marite tenes.*
- P. Excipe quam mihi sincera mente puellam,  
*Quæq; tibi cecini carmina mente tene.*
- C. Non leue momentum est cœlestis copia roris,  
*Dote sua vt cunctas margaris exuperet.*
- P. Ut decus est inter cœlestis Lucifer orbes,  
*Virginei decus est sic mea gemma chori.*
- C. Margaritis est mihi candida, quæ vitio caret omni,  
*Egregia forma est, & tibi culta satis.*
- P. Comis, blanda, decens & moribus apta mariti  
*Sponsa est, quæ gemma nomen &omen habet.*

Tu me-



- C. Tu modò sponse faue , tibi fertur amabile donum,  
cuius ab aspectu gaudia mille feres.
- P. Gaude sponse , tibi quoniam nunc dicitur Uxor,  
Quæ tua complebit pectora læticia.
- C. Margaris in pulcris rutilante monilibus auro  
Eximum ut collo , sic capiti decus est.
- P. Grande tibi decus est tua MARGARIS , illa monile  
Baccatum gemmis vincit honore suo.
- C. Vnio MARGARIDI tu sis , tibi MARGARIS vxor  
Concha sit , vsq; sui nominis ipsa memor.
- P. Vnio CONRADO tu sis , tibi concha maritus,  
Atq; sui semper nominis ipse memor.
- C. Sis felix gemmamq; tuam complectere , cuius  
Et pudor & pietas & nitet ore fides.
- P. Sis felix , et viue diu cum coniuge casta,  
Quam tibi coniungit pronubus ipse Deus.
- C. Viuite felices , semperq; fruatur vterq;  
Sponse tua gemma , MARGARIS atq; viro.
- P. Viuite felices , quoniam felicia vestro  
Nomina promittunt omnia fausta toro.
- C. Et quas sponsa dabit diuino munere gemmas ,  
Mille ferant matri gaudia , mille patri.
- P. Viuite concordes , una duo corpora mente  
Longaq; Nelidæ ducite secla senis.

FINIS.
















A3 52 5/k,8





Farbkarte #13

B.I.G.



Margarita Nuptialis,

17

VENERABILI IV.  
VENI, PIETATE, DOCTRINA  
ET PATRICIA DIGNITATE PRAESTANTI, D.  
CONRADO ALEMANNO, AD DIVVM NICO-  
laum apud Magdeburgenses Canonico, Orna-  
tiss: & prudentiss: Viri D. Thomæ Ale-  
manni, P. M. quondam Consulis  
Reip. Magdeburgensis  
meritiss: F.

Et

CASTISS: PVDICISSIMAE-  
QVE VIRGINI MARGARITAE,  
Honestiss: & Integerrimi Viri  
D. Casparis Steinbeccij,  
P. M. F. Sponsis.  
Donata.

a

GEORGIO RITTERO  
Hilperhusano.



Mag deburgi excudebat Andreas Gehen,  
M. D. LXXXIII.